

Stefan Cardinalis Wyszyński

"Ministorum Dei perpetuum seminarium"

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 7/1-2, 15-44

1964

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

STEFAN CARDINALIS WYSZYŃSKI

„MINISTRORUM DEI PERPETUUM SEMINARIUM”

Em.mi D.ni Cardinalis Stefan Wyszyński, Primatis Poloniae, Oratio Commemorativa Quarti Centenarii Decreti Concilii Tridentini „de Seminariis”, habita in Aula Conciliari coram Ssmo. D. N. PAULO VI PP. et Patribus Conciliaribus die 4 Novembris A. D. 1963 hora decima septima.

PROEMIUM

„Cum quartum compleatur saeculum, ex quo in Oecumenico Concilio Tridentino de constituendis Sacris Seminariis decretum conditum est, ubique terrarum provido consilio statae celebrationes, ut huiusmodi lex lucentiore in lumine collocetur et utilitatum magnitudo uberiore cognitione inde Ecclesiae profecta collustretur, valde Nobis probantur”.

Haec verba, Beatissime Pater, ex Tuis litteris excerpti, quas ad auctores misisti voluminis cui titulus „*Seminaria Ecclesiae Catholicae*”, cura Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 10 iulii 1963, editum, aedemque verba optime munus commendant, quod ex mandato eiusdem Sacrae Congregationis Studiorum suscepi, munus scilicet sane perhonorificum illustrandi coram Patribus Concilii Vaticani II innumera salutaria beneficia, quae decursu quattuor saeculorum ex provida Seminariorum institutione in universam Ecclesiam Catholicam profecta sunt.

Opus aggredior, quod profecto arduum est; volumen tamen, quod dixi, rerum copia atque excellentia omnino praestans, valido adiumento erit ut honori mihi delato et exspectationi huius consessus pro viribus satisfaciam.

Disceptatio nunc mihi instituenda, potius quam historiae atque iuris studiosis lumina afferat, ad Sacros Ecclesiae Pastores praesertim dirigitur, ut iisdem opportuna frugiferaeque considerationis materiam suppeditet.

Fauste ac feliciter contigit, ut quater saecularis commemoratio Decreti Tridentini de Seminariis in tempus incidit, quo Concilium Oecumenicum Vaticanum II celebratur. Sollemnis enim nobis omnibus praebet occasio, ut praeclarum testimonium exhibeamus bonis fructibus debitum, qui ex decreto illo in Ecclesiae commodum et incrementum, longo hoc temporis spatio, editi sunt.

I. De clericorum institutione ante Decretum Tridentinum

Nullum societatis institutum nascitur sine preparatione; communiter evolvitur longo temporis spatio, veluti arbor vel planta, quae oritur ex semine, floret et fert fructus. Fere eadem de Seminariis Clericorum dicenda sunt, quae orta vix post Concilium Tridentinum celebratum, florere postea coeperunt ac tandem in adultam arborem excreverunt.

Nolo urgere novam aliam comparisonem, sed bona venia Vestra, liceat mihi adducere exemplum Beatae Mariae Virginis, quae non omisit quaestionem ponere Angelo Domini, qui grande mysterium Dei ipsi nuntiavit: Quomodo fiet istud? Homo, etiam gratia plenus, vult scire, et quidem iure, cum Deus, Creator naturae humanae, hoc ius homini concesserit. Non aliter ac Sedes Sapientiae, quae in sinu suo formavit Deum-Hominem, homines mortales quaerere non cessabunt: Utrum Deus sit? Videtur quod non — sed contra... Haec est „Fides quaerens intellectum”.

Videntur non diversa ratione Seminaria nostra ortum habuisse.

Non puto me plus dicere, quam veritas patitur, si Seminarium quodammodo fuisse affirmem conversationem illam

quam instituit ipse Christus cum suis discipulis. Qui quidem non cessabant: „Edissere nobis hanc parabolam”. (Cfr. Matth. XIII, 36; Mar. VII, 17; X, 10). Tanta autem indulgentia et patientia Christus se gerebat cum delectis discipulis, ut ipse eos edoceret. (Matth. XIII, 11: Vobis datum est nosse Mysteria Dei). Quae quidem consuetudo familiariter colloquendi cum Christo Domino adeo intima fuisse videtur, ut eius discipulos permoveret ad quaestiones ponendas etiam insolitas, quemadmodum fecit Thomas diffidens: „Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum... (Joa. XX, 24 ss). Haec erat vera Schola Apostolica „perpetuum Seminarium ministrorum Dei” (Concilium Tridentinum).

Procul dubio huc pertinent normae atque adhortationes S. Pauli, discipulis Tito et Timotheo impertitae; deinde primae scholae, ad christianae doctrinae institutionem spectantes, quae Alexandriae, Antiochiae, Caesareae conditae sunt; scripta S. Joannis Chrisostomi „*De Catechizandis rudibus*”, et S. Augustini, de vita communi; denique monita et praecepta S. Augustini, S. Basilii, S. Gregorii, S. Nazianzeni, S. Hieronymi, necnon omnium illustrium Sanctorum Patrum IV et V saeculi, qui omnes amico foedere consociare valuerunt humanitatis studia et doctrinam christianam, sicuti hodie alumnus a nobis per gradus ducitur a grammaticae et philosophiae studiis ad theologicas disciplinas.

Saeculo IV, habentur clarissima illa Instituta, quae collegia ecclesiastica appellantur, et quidem in oppidis, ubi resident episcopi. Praeclaram laudem sibi comparaverunt: Collegium S. Eusebii, episcopi Vercellensis, Collegium Mediolanense, et Collegium quod a S. Augustino, in civitate Hipponensi, conditum est.

Summi momenti in hac re fuerunt instructiones datae a Conciliis Lateranensibus III et IV, (1179 et 1215), quae salutarem vim et influxum exercuerent in leges synodales dioecesium.

Eodem tempore ortae sunt prope ecclesias, praesertim Cathedralis, scholae parociales, cathedrales et collegiales, quas

frequentare solebant iuvenes laici, sed etiam multi clerici. Usque ad Concilium Tridentinum scholae parociales et cathedrales, etiam a religiosis promotae, Athenaea, Academiae vel Universitates locum tenuerunt Seminarii Clericorum.

Omnium celeberrima fuerunt studiorum sedes, quae flourerunt in urbibus Parisiis, Cantabrigiae — vulgo Cambridge, Oxonio, vulgo — Oxford, Bononia et Patavia; praesertim tamen Institutum Romanum, a. 1457 fundatum, a cardinali Capranica, a quo nomen accepit.

Studia historica, quae hucusque peracta sunt de hac quaestione, haud satis adhuc illustrarunt ea omnia, e quibus Decretum Tridentinum de Seminariis originem duxit.

II. Concilii Tridentini Decretum de Seminariis

Mutatae conditiones Ecclesiae, necnon vulnera eidem inflicta, et imprimis renovatio diu annuntiata, causae fuerunt, cur Patres Concilii Tridentini intellexerint, sibi officium incumbere quam maximum, providenti scilicet institutioni et educationi Cleri. Etenim ex omnibus Ecclesiae partibus de hac re vota et optata Concilio Tridentino proposita sunt, ac simul allata sunt testimonia de salutaribus fructibus in iis locis perceptis, ubi huiusmodi opus iam inchoatum fuerat.

Omnia et singula Decreta Concilii inculcabant obligationem fidelis executionis. „Huic vero operi fideles quis invenitur”, innuebant Decreta de praedicatione, de doctrinae christianae institutione, et imprimis Decreta de reformatione, quae in celebri Sessione V., de lectione et praedicatione, die 17 iunii 1546 promulgata sunt.

Quae quidem decreta clerico beneficiario onus imponebant docendi Sacram Scripturam — sive per se, si idoneus sit, sive per alium. Insuper Decreta obligationem statuerunt condendi Scholas Sacrae Scripturae et Sacrae Theologiae, praesertim apud ecclesias cathedrales maiorum civitatum, et apud ecclesias collegiales maiores, absque tamen detrimento disciplina-

rum, quae usque ad id temporis spatium tradebantur. Simile onus, docendi scilicet Sacram Scripturam, incumbabat etiam Monasteriis et Domibus religiosis, gymnasiis, non exclusis ecclesiis minoris gradus.

Munus docendi commitendum erat „viris doctis et virtute praeditis, ab episcopo exploratis et probatis“.

Quaestio etiam ponebatur, quibusnam huiusmodi decretorum exsecutio committenda esset. Hanc quaestionem expediendam curaverunt posteriora Concilii Tridentini decreta.

Res ad maturitatem pervenit, initio anni 1563, cum constituta est *Commissio* ex decem Patribus constans, cui officium commissum est adumbrandi lineamenta quaedam de hac re in Sessione Generali proponenda. *Commissio* per integrum mensem in hunc laborem incubuit, ac postea *Nicolaus Plume*, episcopo Virodunensi, commissum est onus elaborandi *rogationem* huiusmodi Decreti de reformatione. In hac rogatione articulus XVII tractabat de instructione Clericorum. Emendationes ad hanc rogationem datae sunt a Patribus Concilii, decursu duorum mensium, (a die 10 maii ad diem 15 iulii anno 1563).

Cum disputatio circa rogationem habita est, varia consilia proposita fuerunt a Patribus, quorum nonnulli unicuique dioecesi obligationem imponere volebant erigendi Seminaria; alii vero veniam dabant episcopis libere agendi. Non defuerunt etiam qui timerent, ne nova instituta detrimenta afferrent Universitatibus et Collegiis. Nihilominus decretum est *unanimitèr* — nemine excepto, ut in unaquaque dioecesi *Seminarium Clericorum* erigeretur.

Decretum „*De Seminariis Clericorum*“ promulgatum fuit in Sessione XXIII Concilii Tridentini, die 15 iulii, anno 1563, post disputationes et emendationes, quae habitae sunt decursu 5 mensium. Hanc Sessionem Fr. Bartholomaeus de Martyribus appellavit *pacificam sessionem*. Cardinalis autem Sforza Pallavicini in opere suo de historia Concilii Tridentini asseverare non dubitavit: „Prae caeteris probata fuit Seminariorum institutio: adeo ut complures affirmarent, si nullus alius fructus ex eo Concilio decerptus fuisset, solum hunc labo-

res omnes et incommoda compensare..." (Vera Concilii Tridentini Historia — Antverpiae, 1670, III p. 1.21, c. 8, n. 3. 534 ss).

Canones huius Decreti eiusmodi sunt ut longa tractatione digni videantur. Satis sit adducere proemium Decreti, quo illustrantur causae praecipuae, suadentes Seminaria Clericorum: „Sancta Synodus statuit, ut singulae Cathedrales, metropolitanae atque his maiores ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio, ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo, colere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur”.

Decretum Tridentinum monet eligendos esse iuvenes tantum „quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros”.

Alumni dividantur in classes, secundum eorum praeparationem „ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit”. Statuta est pariter ratio studiorum alumnorum, qui ceterum, iam ab initio, vestem clericalem induere, et tonsuram recipere debuerunt.

„Grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent; Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas ediscent”.

Quoad rationem autem educationis statuitur „ut alumni singulis diebus missae sacrificio intersint ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et iuxta confessoris iudicium sumant Corpus Domini Jesu Christi; cathedrali et aliis loci ecclesiis, diebus festis inservient”.

Verum est, Decretum Tridentinum non statuisset obligationem strictam, ut omnes ad s. presbyteratus ordinem promovendi solummodo in Seminariis educarentur. Attamen Concilium Tridentinum definivit rationem Studiorum Clericorum, ad cuius normam posterior necnon recentior legislatio canonica conformata est. Praeterea Concilium Tridentinum episcopis amplam tribuit facultatem circa methodum educationis,

quae ad conditiones loci est accomodanda; ita ut lata pateat via in seligendis mediis et experimentis, quae tamen ab ipsis episcopis vel a moderatoribus scite, prudenter et naviter probanda sunt.

Quo factum est, ut sanae aemulationis studium singulos incitaverit ad formam educationis aptiorem usque investigandam et applicandam.

Alia Decreti praescripta spectant ad moderatores et visitatores, ad media sustentationis Seminariorum, ad professores eorumque praeparationem, denique ad Seminaria regionalia.

Ex Decreto Tridentino clarae et definitae deducuntur obligationes quae statuunt:

1) Seminarium erigendum esse in unaquaque dioecesi, nisi instituantur Seminaria Regionalia, quae admittuntur.

2) Cum causa agatur de iuvenibus, qui in perpetuum se devovent servitio divino, proinde condendum est „perpetuum Seminarium ministrorum Dei”.

3) Definitam esse rationem Studiorum et Educationis.

4) Primam auctoritatem in Seminario esse episcopum.

5) Seminaria ius habere ad media, stricte definienda, pro sustentatione.

Exinde voluit Concilium Tridentinum obligationem lege episcopis imponere, Seminaria in dioecesibus erigendi.

Res singulae continentur in Decreto, potius in *germine*: decursu autem temporis evolvendae, supplendae et definiendae erant, iuxta tamen legem principem, quae Concilio Tridentino statuta est.

III. Seminariorum evolutio decursu Saeculorum

Auctores partis historicae libri, cui titulus est „*Seminaria Ecclesiae Catholicae*” laudibus extollunt sensum sapientis libertatis, quo interpretatio legis ecclesiasticae facta est.

Ecclesia statuit quidem leges, sed numquam viam praeccludit ad seligendam aptiorem methodum educationis, iuxta prudens iudicium virorum, quibus confidit. Quod reapse contigit,

cum Decretum Tridentinum de Seminariis ad effectum deducendum fuit.

Historia Seminariorum, quae tempora post Concilium Tridentinum complectitur, palam demonstrat spem conceptam irritam non fuisse.

In Ecclesia minime defuerunt viri egregii qui Decreta Concilii Tridentini exsecuti sunt, etiam quod attinet ad Decretum de Seminariis.

Horum in numero eminet Sanctus Carolus Borromaeus, Archiepiscopus Mediolanensis, qui praecedit eos qui prima Seminaria dioecesana condiderunt. Iam mense iunio anni 1564 ipse mandavit, ut erigeretur canonicè Seminarium, cuius regimen concreditum est, primum, filiis spiritualibus S. Ignatii. Haud multo postea tria Seminaria condidit in urbe Mediolano, et alia tria in territorio eiusdem Mediolanensis dioecesis. In condendis autem Seminariis sollers cura fuit S. Caroli, ut alumni eligerentur e iuvenibus, qui sive ingenii sive morum laude ceteris antecellerent. Neque omisit Sanctus Carolus condere Seminarium pro iis, qui adulta aetate sacerdotium obire cupiebant.

Statuta Mediolanensia, quae vocantur Institutiones ad universon Seminarii regimen pertinentes — exemplo fuerunt Statutis Seminariorum, quae in aliis dioecesibus condita sunt. Opportunum videtur, summa capita horum Statutorum adducere. Divisa sunt in tres partes.

Pars prima continetur 9 capitibus, quae tractant: De gubernatione spirituali; De Studiis; De exercitationibus clericorum in concionibus habendis; De cantu et scriptione; De gubernatione temporali; Distributio horarum totius anni; De vacationibus et diebus ad relaxandum animum assignatis; De visitatione; De Clericis in Seminarium recipiendis.

Pars secunda complectitur 10 capita, quae sunt: De officialibus in genere; De officio rectoris; De officio ministri; De officio confessarii; De munere praefecti studiorum; Quae ad praeceptores pertinent; De officio thesaurarii; De officio praefectorum; De bibliotheca eiusque praefecto; De familia inferiori.

Pars tertia ex 7 capitibus constat, quae agunt: De scopo Clericorum Seminarii; De piis exercitationibus; De disciplina et moribus; Quae ad studia pertinent; De vestitu; De domesticis exercitiis aliisque praestandis cum domo exeunt; De infirmis.

Ex indice materiarum patet, Institutiones fere omnibus prospicere, quae necessaria videntur Seminariis; eademque, mutatis mutandis, etiam nostris temporibus, post transacta tot saecula, inservire posse ad conficienda Statuta pro Seminariis. Ceterum can. 1358 Codicis iuris Canonici ex hisce Institutionibus plura hausit.

Quare S. Carolus Borromaeus iure meritoque appellari potest pater Seminariorum pro Clericis educandis et formandis in Ecclesia, eiusque auctoritas ad erigenda Seminaria quod attinet, semper maxima fuit in toto orbe catholico.

Bona venia Tua, Beatissime Pater, liceat mihi adducere testimonia minus nota, quae respiciunt regiones septemtrionales Ecclesiae Catholicae, regiones scilicet quae ad Maris Baltici littora extenduntur. Usque ad illas regiones pervenit Decretum Concilii Tridentini, et quidem tempore brevissimo. Quod quidem tribuendum esse videtur amicitiae, quae intercesserat inter S. Carolum Borromaeum et Patrem Conciliarem, Stanislaum Hosium, episcopum Warmiensem (WARMIA) necnon Stanislaum KARNKOWSKI, episcopum Vladislaviensem (WŁOCŁAWEK — VLADISLAVIENSIS).

Seminarium pro Clericis, in dioecesi Warmiensi conditum est anno 1565, auctore Stanislao Cardinali Hosio, in loco BRANIEWO vel LIDZBARK in WARMIA, adstante legato Romani Pontificis, Joanne Cardinali Commendone.

Seminarium VLADISLAVIENSE ortum habuit anno 1569, perdurante Synodo dioecesana, quae celebrata fuit a Stanislao KARNKOWSKI, episcopo VLADISLAVIENSI, qui cum Cardinali Hosio intima familiaritate utebatur. Is, in sedem Primatiales Gnesnensem translatus, alterum Seminarium condidit, anno 1598.

Inter antiquissima Seminaria Clericorum, quae in illis regionibus, ab Urbe longinquis condita sunt, praeter Seminaria

Varmiense et Vladislaviense, recensenda quoque sunt Seminarium Clericorum POSNANIENSE, anno 1564 fundatum, ubi iam ab anno 1518 Academia Lubransciana sedem habuerat, et VRATISLAVIENSE (BRESLAVIA), fundatum anno 1565; PEPLINENSE, in Dioecesi Culmensi, ubi auctoritas Cardinalis Hosii plurimum valuit; VILNENSE, anno 1582 fundatum cura Cardinalis Georgii RADZIWIŁŁ; PLOCENSE, ab anno 1595.

Studia historica auxilio esse potuerunt, ut tempus, quo illa Seminarium condita sunt, magis definite statuatur.

Sine dubio, adduci possent alia testimonia, eaque praeclara, praesertim ex Italia, ubi Seminarium Clericorum quam celerrime orta sunt, vix post celebratum Concilium Tridentinum. Sed exempla superius allata comprobant Seminariorum necessitatem, quae in toto orbe catholico manifesta est, etiam in Europae regionibus Septemtrionalibus et Orientalibus.

Maxime illorum episcoporum laudi tribuendum est, quod decreta Sanctae Sedes in executionem mandata sunt.

Saeculo XVII impensissima opera data est, ut Seminarium pro Clericis, in Gallia erigerentur; quod evenit praesertim opera S. Vincentii a Paulo, necnon sacerdotum e Congregatione S. Sulpitii et S. Joannis Eudes.

In Germania autem Beatus Holzhauser plerique alii, in hoc opus sollerter incubuerunt.

Semen, in Concilio Tridentino satum in arborem crevit.

IV. De salutari Seminariorum efficacia in Ecclesia

Beneficia, quae Seminarium Ecclesiae pepererunt, apud omnes in comperto sunt, quamvis haud exigui negotii res sit ea breviter recensere.

Seminarium enim optime valuerunt ad propulsandos Protestantium errores, ad id efficiendum quod praeclaro modo Cardinalis Stanislaus Hosius operatus et in Warmia, et alibi, ubi populi disputationibus religiosis dividebantur.

Decretum Tridentinum exigebat, ut munera et officia in Seminarium committerentur „non nisi doctoribus et magistris

aut licentiatis in Sacra Pagina aut in Iure canonico, et aliis personis idoneis..., hoc est viris, qui ratione studiorum et gradum academicorum coniungebantur cum Universitatibus Studiorum.

Ab eo tempore influxus studiorum Universitatum incepit animos iuvenum in Seminariis imbuere, quod quidem valde contulit ad eorum mentis culturam et mores excolendos, ope doctorum et magistrorum, ac propterea id non sine utilitate ipsius Cleri dioecesanii contingere potuit.

Ac revera, quod unaqueque dioecesis possidebat sacerdotum doctorum coetum, qui apud Universitates studia perceperant, id non potuit non favere formationi philosophicae et theologicae totius cleri dioecesanii. Praeclara beneficia, quae per hos doctos sacerdotes collata sunt, saepe eiusmodi momenti erant ut limites dioecesis transgrederentur.

Nostris etiam temporibus non raro animadverti possunt salutare influxus talium coetum professorum Seminarii, exempli gratia in publicationibus scientificis, cura Seminariorum editis, aut in curandis diariis vel foliis periodicis, methodo scientifica compositis. Peculiari modo maximae laudes tribuendae sunt lexicis vel Dictionariis de re theologica, quae in Germania et in Gallia edita sunt.

Variae „scholae” philosophicae, theologicae et exegeticae, quae in Seminariis aut in Facultatibus Universitatum ortae sunt, exstant veluti felix fermentum evangelicum, quo animi opportune ad doctrinam excolendam moventur atque excitantur, ac propterea multum valent ad congruam clericorum praeparationem et educationem promovendam.

Multi sunt episcopi, qui non omiserunt professores et moderatores pro Seminariis praeparare et seligere, qui in diversis Studiorum Universitatibus studiorum curriculum absolverint et titulos academicos obtinuerunt. Quod, ut par est, admodum iuvat non solum ad sanam inter diversas scholas aemulationem excitandam, sed etiam efficit, ut profundiori quaestionum studio progrediatur scientia, quae optimae educationi clericorum utilis et necessaria est. Haec vero communicatio atque connexio inter varias universi orbis catholici scholas nonnisi bonos fructus edere potest.

Ad hunc finem assequendam, omnia fere Seminarium dioecesanum relationes habere solent cum variis Studiis Universitatum, praesertim Romanis, sed etiam Gallicis, itemque cum Institutis Scientificis in civitatibus Lovaniensi et Friburgensi, et alibi; quod vertit in bonum Ecclesiae, idque etiam nosmetipsi experiendo novimus, in disputationibus huius Nostri Concilii. Nam varietas opinionum, quae ex diversis scholis oritur, efficit ut in nostris coetibus quaestiones profundiori studio expendantur atque examinentur, atque omnia in libertate et caritate procedant.

Haec sunt indubia merita quae tribuenda sunt Studiorum Universitatibus necnon Seminariis, sub prudenti directione S. Congregationis — De Seminariis et Studiorum Universitatibus.

„*Dei ministrorum perpetuum Seminarium*”, quod nostra aetate, Europa tantummodo spectata, sexcentas numerat sedes, atque sacerdotum agmina praeparat, regit „Cor unum et anima una”.

V. Curae et sollicitudines Nostri temporis in quaestionibus de Seminariis Clericorum

Animadvertendum est, hominum nostrae aetatis quam maxime interesse, quaenam sit instructio clericorum in Seminariis, cuius sit gradus, et quidnam complectatur.

1. Facile intelligitur, res quae in Seminariis aguntur, scilicet studium stricte dictum necnon educationem alumnorum, curae esse non solum viris ecclesiasticis, sed etiam laicis catholicis cuiusvis condicionis.

Imprimis universim semper urget necessitas aptandi rationem studiorum necnon methodum educandi ad mutatas condiciones civiles atque sociales.

Praeterea progressus doctrinae theologicae variaque ac semper crescentes necessitates pastorales postulant, ut amplificentur studiorum materia et consequenter tempus protrahatur, necessarium ad studiorum curriculum peragendum.

Deinde recens auctum studium theologiae fundamentalis, maxime quod attinet ecclesilogiam atque etiam theologiae pastoralis, psychologiae et pedagogiae, necnon sociologiae, requirit, ut mutantur methodi pastorales atque dilatentur ambitus apostolatus, usque ad coetus hominum qui huiusque procul ab influxu Ecclesiae permanserunt. Multae enim quaestiones pastorales non pertractantur vel indigent profundiore studio, cuiusmodi est quaestio ad eos spectans qui in magnis civitatibus vel in regionibus ruralibus vitam degunt.

Explorandae diligentius etiam sunt viae ac rationes ut sacri ministerii efficacia ad operariorum collegia perveniat, maxime eorum qui laborant in magnis fabricis et officinis. Item penitus investigandae sunt condiciones sociales quae ob ingentes technicarum artium progressus prorsus mutatae sunt ac proinde plurimas ac novas quaestiones morales et religiosas proponunt.

Quae si bene perpendantur, in luce ponunt, quantum numero auctae sint disciplinae Clericis in Seminariis addiscendae. Quod evenit etiam hac de causa, quia Seminaria nostra magis magisque accedant ad studiorum rationem quae apud Facultates Universitatum habetur. Ipsa enim methodus docendi fit ad instar praelectionum professorum qui ex cathedra academica docent ita ut Seminaria videantur similia Institutis, in quibus iuvenes doctrina excoluntur atque litterarum vel scientiarum periti evadunt.

Hoc loco gravis ponitur quaestio, utrum pietati an studio potiores partes sint tribuendae. Etenim auctus disciplinarum numerus haud leve detrimentum afferre potest spirituali formationi Clericorum. Ut argumentum paucis exponam, immoderata cura in studiis atque in eruditione comparanda posita, quae non aequam pietatis rationem habeat, minime ferre potest bonos fructus, cum exinde moderatores magis professores ex cathedra docentes, quam educatores evadant.

In theoria, quaestio facilis est solutionis, cum apud omnes constet, pietatem et studium procedere debere pari gressu et formationem spiritualem proprium finem esse etiam studiorum; neque dari veri nominis ecclesiasticum studium, quod non conferat ad animarum formationem alendam, seu breviter omne studium suapte natura conducere debere ad Clericos aptius educandos. Ex quo sequitur, ut disciplinae addiscendae ita tradi debeant, ut roborent auctoritatem docentis, qui non solum professoris sed etiam educatoris partes agere necesse est; ita quidem ut universa studiorum materia numquam fas sit ab huiusmodi praecipuo fine deflectere.

Quae principia observentur oportet sive apud Seminaria Clericorum sive etiam apud Facultates theologicas. Immo in universum observanda sunt, vel apud ipsas profanas scholas, studiis Politechnicis atque Universitatibus non exclusis. Semper enim prae oculis hoc habendum est, nempe finem supremum cuiusvis educationis vel formationis esse hominem qui praeparandus atque instituendus est ad artem hoc in mundo, non in alio, exercendam.

2. Ipsius societatis seu laicorum magni interest, Clericos in Seminariis recte formari atque educari.

Hoc colligitur ex eo, quod homines nostrorum temporum plurima exigunt in iis, qui, in Seminario praeparantur, ac saepe defectus lamentantur quibus laborare putant formationem Cleri. Hoc confirmari videtur ipsis sacerdotum quaerimoniis, qui haud raro, ob eventus non prosperos, animo deiciuntur et praeparationem in Seminario receptam mancam fuisse accusant.

Ipsi fabularum romanicarum scriptores in suis libris hoc argumentum libenter tractant, ut nostrae aetati apprime aptum. Etenim describunt clericum, sacerdotem, domum paroecialem vel paroeciam ipsam; parochi vitam narrant, eumque fingunt aliquando inter divites aliquando inter paupe-

res versari; ac non desunt qui laudibus extollunt sacerdotes ultro amplectentes communem vitam cum operariis.

Saepe saepius haec obiciuntur: iuvenis sacerdos non satis cognoscit vitam hodierni temporis, videtur male ad eam praeparatus, timidum se praestat erga mundum et homines in mundo viventes; male se habet in mundo, ergo ab eo refugit, nescit loqui sermone opportuno atque accomodato ad hominem modernum, ignarus est subsidiorum quibus melius influere possit in fideles neque ullum sensum possidet apostolatus et cetera huiusmodi quae vix numerari possunt.

Si omnes has querelas aequa lance pendimus, statim animadvertimus, et quidem non sine iusto gaudio, educationem mentis culturam atque doctrinam cleri nostrae aetatis multo superiorem esse quam saeculis praeteritis.

Neque hoc mirum est cum hodie maiores a clericis desiderantur dotes et qualitates, iuxta mandatum dynamicum Ipsius Domini, qui praecipit ut Sancti sanctiores fiant. Quare nullo modo fas est huiusmodi optata et postulata spernere ac neglegere, quia non omnia hodiernorum hominum optata sunt falsa vel exigui momenti, sed quaedam recta sunt censenda.

Non omnino probandam eorum sententiam puto, qui cupiunt ut mutetur ex toto praeparatio Clerici ad futurum apostolatatum, quasi non amplius Clerus educari deberet in Seminario, sed statim Clerici mittendi essent in apertum apostolatus campum. Numquam enim oblivioni dandum est principium, valens pro omni professione vel arte, vi cuius praeparatio theoretica semper praemittenda.

Attamen iure meritoque postulatur, ut quaecumque praeparatio dirigatur ad futurum apostolatatum Clericorum. Etenim ii qui alios fidei praecepta docere volunt, ea debent primum noscere; ii qui alios ad sanctitudinis fastigia perducere nituntur, in se ipsis primum experiri debent ac degustare spiritualis vitae dulcedinem, ut contemplata aliis tradere queant.

Omnis sacerdos est „missus a Deo“, et quidem „ut testimonium perhibeat de Lumine“.

3. Etiam homines politici postulant plura ab educatione Clericorum in Seminario. (in fragmentis).

Quae cum ita sint, praedicatio Evangelii in unaquaque Natione exigit, ut bene noscantur condiciones loci necnon necessitates populi. Quapropter studia in Seminariis ita ordinata sunt, ut bene examinentur methodi meliores et aptiores, quae apprime respondeant indoli et ingenio populi.

Praescripta, quae a Sacra Congregatione de Seminariis maxima cum prudentia proponuntur, observanda sunt; his autem praescriptis multa alia addenda erunt, quae respiciunt locum apostolatus, eius peculiare condiciones necnon necessitates.

Non licet neque expedit, methodum educationis, quae optima esse potest in aliqua natione, adamussim applicare educationi Clericorum qui ad aliam nationem pertinent.

Quare unumquodque Seminarium componere debet materias studiorum necnon modum et methodum educationis Clericorum, primum iuxta praescripta generalia Sanctae Sedis, cuius est moderari praedicationem Evangelii inter omnes gentes; deinde debitam considerationem habere debet educationis et praeparationis Clericorum, quibus in illa natione munus apostolicum explendum erit; in qua saepissime diversae sunt necessitates religiosae, morales, sociales et denique locales.

Rationes huiusmodi accommodationis adhuc instantius urgent, si in quibusdam regionibus Ecclesia in difficillimis versetur condicionibus.

4. Restat ut considereretur educatio moderna Cleri, ad aspectum sociale quod attinet.

Apud omnes constat, regimen democraticum „classis operariorum” valde crevisse: ex hac autem amplificata conditione, fortuna et sorte operariorum aucta est etiam eorum condicio socialis iidemque consequenter exigunt maiora iura et

beneficia in conformatione oeconomica Status. Sed haec verum condicio saepe coniunctam habet diffidentiam classis operariorum erga Clerum.

Neque, ut videtur, coetus isti, cum contendunt pro adipiscenda meliore conditione oeconomica, nunquam exspectant a sacerdotibus, ut ab iis adiuventur in assequendis hisce commodis; optime enim sciunt verba a Christo enuntiata: „non ex solo pane vivit homo“; sed iidem operariorum coetus desiderant ardentem, ut sacerdotes hodierni ipsos comprehendant, ut agnoscant iusta eorum iura ad iustitiam, ad libertatem, ad cultum dignitatis personae humanae, ut generatim amice agant cum eis.

Hic non agitur de fovendo inordinato aerae popularis amore, vulgo demagogia, quam nostri populi molestam habent, eique diffidunt, aut saltem erga eum animo sat indifferenti se habent. Nihil aliud volunt nisi animum sacerdotum benevolum persentire, secundum exemplum Christi, qui aiebat „miseror super turbam“.

Hisce nostris temporibus, plures Status Civiles ordinem sociale induxerunt, ad normam iustitiae socialis. Quapropter praeparatio et educatio socialis sacerdotum exigit ut sacerdotes animum gerant benevolum erga propensa ac legitima optata operariorum, consona cum iure naturali et divino. Maximi momenti est, ut Ecclesiae auctoritates ac viri ecclesiastici salutariter informent, ope sanae doctrinae, haec reipublicae instituta, atque illuminent istos operariorum coetus, qui panem duro laborare sibi procurare quaerunt, ne male eveniat, ut homo fiat deterior, atque e contra res materiales, ope laboris humani, fiant nobiliores. (Cf. verba Litterarum Encyclicarum — Quadragesimo Anno —). Puto maiorem lucem in hac quaestione afferi posse ope theologiae de terrenis realitatibus, quae tamen nondum satis evoluta est.

Haec et aliae quaestiones de ordinandis Seminariis tam variae et multiplices sunt, nostris temporibus, ut non facile sit easdem fuse exponere.

In hoc consistit prudentia Decreti Tridentini, quod institutum Seminarii voluit circumscribere nonnisi generalioribus

statutis et formis, ita ut ulterior evolutio huius quaestionis non solum sit possibilis, sed optanda. Ipsa vita Ecclesiae hoc suadet, vi principii quod continetur in similitudine evangelica „de semine sinapis”.

VI. De Principiis Ecclesiae, quae nostris temporibus, relate ad Seminaria sunt applicanda; deque expectationibus Ecclesiae

Historia Seminariorum in luce quidem ponit eorum innumera promerita, sed nostra temora hac in re secumferunt quaestiones, quae eorundem Seminariorum florentiorem vitam atque profectum respiciunt, ac propterea obligant nos, ut manus, hac data sollemni commemoratione, ad aperiendas novas vias, quae meliora futura tempora Seminariis praepararent, eo vel magis, quod Concilium Oecumenicum Vaticanum II attente considerari iubeat speciale Schema: „De sacrorum alumniis formandis”.

Mirum non est, si omnium, qui rem diligenter perpendant, mognopere intersit quaestio de formatione Clericorum in Seminariis: negotium enim communia consilia atque sollicitudines postulat, cum respiciat eos „qui ex hominibus assumpti, pro hominibus constituuntur”.

In hodierna ordinatione laboris, unusquisque qui ingreditur in officinam vel fabricam ad laborem praestandum, primum edocetur de iis quae illic aguntur; deinde ei impertiuntur consilia operis perficiendi, instrumenta et denique ipsum opus iam perfectum. Hoc modo operarius vidit opus ab omnibus expletum, atque adeo suscipere potest partes quae eidem explendae sunt.

Videntur etiam alumno Seminarii in primis ponenda esse ante oculos ea omnia quae perficienda erunt in hoc grandi Instituto, quasi spiritali fabrica, ex qua Clerici prodeunt; haec comparatio quibusdam nimis audax apparere potest, sed puto eam iure meritoque adhiberi, cum nostris temporibus praeparatio et educatio Clericorum, ut verbis Concilii Tridentini utar, in grandi „perputuo Seminario” peragatur. Clericus

vel sacrorum alumnus, quibus res plurimae ac diversae perficiendae sunt, semper prae oculis habere debet in omnium finem principalem laboris sui, qui ordinate est componendus cum labore Moderatorum, Professorum necnon sodalium suorum.

Quem finem praecipuum atque supremum indicavit Ipse Christus, cum in Ultima Coena, antequam pateretur, primos neopresbyteros quasi Seminarii Sui in mundum dimisit. Tunc eos hisce verbis allocutus est, quibus Patrem exoravit „Ut omnes unum sint“. (Joa. XVII, 21.) Tunc etiam indicavit unitatem in vita SS. mae Trinitatis exemplum esse oportere omnis unitatis; „Sicuti Tu Pater in me, et ego in Te, ut et ipsi unum sint in Nobis“. (Joa. XVII, 21).

Quod quidem flagrantissimum unitatis Votum Christus Jesus fusius enucleavit, cum Mandatum Apostolicum dedit discipulis suis „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: Et ecce ego vobiscum sum ad consummationem saeculi“. (Matth. XXVIII, 18—20).

Huiusmodi Domini precatio atque mandatum pro unitate suorum Apostolorum elucet in tota Missione Ecclesiae ad Populum Dei, cum fiat semper in Nomine SS. mae Trinitatis.

Nonne „unitas in Trinitate veneranda“ iuxta verba Symboli Athanasiani censenda est veluti lapis angularis omnis aedificationis, quae spectat ad formanda nova agmina Clericorum in hoc mirabili „perpetuo Seminario Dei ministrorum“? Supra hunc lapidem ponendae erunt hae quasi quattuor columnae formationis Clericorum, quae sunt:

- 1) unitas cum SS. ma Trinitate
- 2) unitas cum Ecclesia
- 3) unitas cum Episcopo
- 4) unitas cum Populo Dei.

Non est hic necesse ut profundius de his argumentis examen instituamus. Sufficit ea adumbrare.

1. In primis — Unitas in Trinitate

Haec videtur virtus essentialis formationis et sanctificationis, cum sit finis cuiusvis formae christiani cultus. Omnis disciplina et formatio intellectus clericos ad hoc perducere debet, ut prosequantur et foveant unionem cum Deo Patre, et Eius Filio, et Spiritu Sancto.

Omnia ab hoc initium habent in vita christiana, cum vocatio et missio ad Populum Dei incipiat in Nomine SS. mae Trinitatis. Hoc est etiam fundamentum vocationis sacerdotalis quae in Nomine SS. mae Trinitatis initium habuit, quemadmodum aliquando sacerdos factus, clericus pariter in Nomine SS. mae Trinitatis praedicare debet.

In hoc enim Nomine sacerdos, olim baptismum recepit, deinde formatus et educatus est, denique in Eodem Nomine ad alios mittitur.

Ut conscientiam habeat futuri muneris sui apostolici, iuuenis clericus acquirat oportet relationem intimam cum SS. ma Trinitate, cum eaque vinculum nectat coniunctissimum, scilicet cum Patre et Filio et Spiritu Sancto. Ad hoc multum iuvabit studium doctrinae „De Sanctissima Trinitate”, „De Deo Creatore”, „De Deo Redemptore”, „De Spiritu Sancto”. Neque tamen sit hoc studium pure academicum, sed penitus attingat animi facultates totaque vitam pervadat. Scilicet studium theologicum de SS. ma Trinitate perducatur ad impensio-rem spiritualem vitam, quia supra fundamento cognitionis veritatum aedificandus est cultus religionis et intima unio cum Deo. Quare theologia dogmatica, si mentem alumnorum occupet, ope singularum varietatum, stimulum praebet ad pietatem fovendam et ad fervorem religiosum augendum. Deus qui homini moderno longe abesse videtur, procul dubio fiet proximior, si cognoscatur ut Rerum Conditor, Ordinis naturalis et moralis Auctor, Pater Creationis intime homini unitus, qui saepe vel ipsum suum patrem naturalem ignorat. Talem Patrem alumnus Seminarii noscere, sentire, amare omnibus viribus cordis et animi debet. Ac talem Patrem praedicare debemus hominibus, qui cum scire volunt aliquid de sua ori-

gine, saepe falsis doctrinis imbuti, veluti sine patre esse videntur.

Sacerdos sit Pater plus quam publicus officii paroeçialis administer, ac multum loquatur de Patre qui filium misit in mundum.

Homini moderno, assuetudo rebus technicis, telecommunicationi quae dicitur, et stratsphaerae, necnon recentibus in re technica mirificis progressibus Sacerdos loquatur de Eo qui est „Primus Movens — qui ascendit super sidera“.

Censeo instituendos esse in Seminariis cursus speciales in hac materia, quam supra memoravimus, eo fine, ut inserviant ad melius intelligendum tractatum theologicum „De Deo Creatore et Redemptore“.

Cum scientiae naturales, nostris temporibus, errore materialismi inficiantur, eadem utiliter et opportune proponantur alumni Seminarii, quia inservire possunt maiori intelligentiae Philosophiae stricte dictae. Haec iam praevидit egregius et clarissimus Cardinalis Mercier.

Animus alumni Seminarii ita persentet melius opus creationis, neconon res miras universi et mundi, in quem descendit „Sacerdos in aeternum“ — „Christus Dominus“. Ipse est qui in mundo instituit „Sacerdotium aeternum“; et a mundo sacerdos appellatur „Alter Christus“.

2. Unitas cum Ecclesia

Nostri alumni hodie educantur in unione cum Ecclesia faciliore ratione quam elapsis temporibus. Ecclesia suscepit mandatum Christi, ut omnes unum sint, atque ostendit decursu XX saeculorum se reapse valere ad id efficiendum atque exsequendum. Ecclesia enim catholica nostris temporibus exhibet suam unitatem eo solidiorem, quo magis in mundo dissonae sunt voces, ideae et opiniones. Ecclesia feliciter superavit tempora individualismi philosophici, moralis et socialis, unde tot aerumnae atque calamitates ortae sunt, sed etiam tot salutaria monita pro nobis.

Principia philosophica thomismi renati, quae fovent et colunt sensum sociale et humanum, optime populos adiuverunt in exploranda et percipienda doctrina Pii XII de Ecclesia, Corpore Christi Mystico. Necessaria fuerunt haec tempora, quibus tot discrimina et calamitates experti sumus, ut facilius intellegentur illa verba S. Pauli, in epistula ad Romanos (Rom. XII, 5 et sequentia) „Ita omnes nos membra sumus in Uno Corpore Christi”.

Si historiae vicissitudines considerentur, etiam breviter et stricte, patet veritas huius facti. Conatus S. Ignatii Martyris ad servandam unitatem Ecclesiae, itemque sequentibus saeculis doctrina circa personam Christi formulata a S. Irenaeo, S. Cipriano, S. Augustino, quae elaborata fuit in contentionibus adversus haereses, materiam suppeditaverunt Summae Theologicae S. Thomae Aquinatis, ad componendum caput illud tam difficile intellectu quod respicit Mysticum Corpus Christi.

Res gestae a Gregorio VII, in defensionem libertatis Ecclesiae, Litterae Decretales Bonifatii VIII, Decreta et Canones Concilii Tridentini ac tandem Litterae Enciclicae Leonis XIII: ecce documenta Pontificia, quae non solum corroboraverunt condicionem Ecclesiae iuridicam et hierarchicam, sed eodem tempore quam maxime contulerunt ad confirmationem unitatis Ecclesiae, ita quidem, ut hodie sit quaestio soluta neque amplius periculum prostet alicuius schismatis, dissensionis vel discidii ipsius Cleri quod attinet ad necessitudines quae intercedere debent inter potestatem ecclesiasticam et saecularem.

Doctrina Summorum Pontificum et Conciliorum, scripta Patrum et Doctorum Ecclesiae, ipsa scientia theologica et canones ecclesiastici, exempla virorum sanctorum, collecta in Libro Martyrologii, in Libro Missalis et Breviarii, ac denique vita sacramentalis coniuncta cum operibus christianae pietatis: haec ita nos confirmaverunt in amplectenda doctrina de unitate Ecclesiae, utpote Corpore Mystico, ut universus orbis catholicus, non obstanate strepitu armorum in pernicioso postremo bello, nihilominus magno cum gaudio, spe et consolatione spiritus, Litteras Enciclicas Pii XII exceperit.

Quae Litterae Enciclicae quam maxime favent formationi clericorum, cum eos intime uniant cum Ecclesia, Corpore Christi Mystico et cum eius Capite et variis Membris. Ipsa autem Mater Ecclesia adiuvat alumnos Seminarii ad intelligendum hanc veritatem ope Libri Pontificalis, quia ordinationes modo educandi arti conformi conferuntur: et ita alumnus ad altare iam introducit, quod ipsi in collatione subdiaconatus ostenditur veluti imago et figura ipsius Christi; in collatione autem ordinis diaconatus habetur veluti praefatio, quae in suo cantico laudat structuram theologicam et dispositionem sociale membrorum, quae inter se uniuntur per gratiam in Christo.

Iuxta autem doctrinam de Corpore Christi Mystico alumni formantur et educantur ut discant vincere sensum proprii individualismi, in favorem boni communis seu socialis. Tunc melius cognoscere possunt seipsos et alios tamquam membra Mystici Corporis Christi, cuius Conditor, Caput, Salvator et Conservator est Ipse Christus.

Idem alumni agnoscere etiam assuescunt in Ecclesia, quae est institutio supranaturalis, eius vultum divinum et humanum, visibilem et invisibilem, quia Ecclesia ex una parte ostendit formam iuridicam et hierarchicam, ex altera autem nutritur et sustinetur afflatu charismatico Ipsius Spiritus Sancti; hi tamen duo aspectus Ecclesiae minime sunt separati, sed inter se intime uniuntur in similitudinem unionis naturae divinae et humanae in Christo. Item sacrorum alumni, secundum eandem doctrinam De Corpore Mystico hodie melius contemplari possunt Ecclesiam tamquam unam et immensam familiam Christi, ac propterea discunt aestimare, ut oportet, dignitatem uniuscuiusque hominis, cum quilibet homo vocatus sit, ut membrum Mystici Corporis Christi fiat.

Quae vero sententia momentum habet quam maximum, non solum in rerum ordine theologico et mystico, sed etiam morali, sociali atque oeconomico.

Hic fieri possunt aliae quoque considerationes, quae valde iuvant formationem Clericorum in Seminario, eorumque educationem, sive theologicam sive moralem.

Quae considerationes, sine dubio, impellunt unumquemque ad ponderandas atque aestimandas proprias facultates spirituales, eo tamen fine, ut inserviant ceteris hominibus iuxta principia christiana de communione bonorum. Hoc modo nascitur et perficitur officiorum conscientia de bono communitatis, non solum quod attinet bona superflua materialia et oeconomica, sed etiam quoad facultates spirituales et morales, uti sunt virtutes et ingenium.

Quia haec constituere possunt bona superflua, quorum rationem reddere debemus communitati filiorum Dei, universaeque humanae familiae.

Restat ut saltem innuantur aliae christianae communionis formae, quae fovere debent vinculum unitatis; hae sunt praesertim via imitationis Christi, communis omnibus fidelibus, communicatio in praedicatione veritatis, communicatio in sacramentis, uti fontibus unionis et gratiae, communicatio in uno eodemque Sacrificio Missae, in communi oratione publica, in administratione Sacramentorum.

Quamobrem, etsi habeatur in clericorum educatione atque formatione multiplicitas et diversitas disciplinarum, moderatorum atque professorum, haec omnia tamen tamquam ad supremum finem tendere debent ut unitas in Ecclesia magis magisque foveatur ac promoveatur.

3. Unitas cum Episcopo.

In hac Aula Conciliari, propterea quod hucusque semper de episcopis numquam autem de sacerdotibus sermo fuit, plures Patres timores significaverunt, ne exinde dignitas sacerdotum minueretur. Visum enim est eis non satis aestimari servitium, quod presbyteri praestant, utpote qui ipsi sint in prima acie constituti. Huiusmodi voces dignae quidem sunt quae maxima consideratione perpendantur.

Attamen obliviscenda non est sollicita cura Ecclesiae quae ducit omnes sive Episcopos sive sacerdotes „ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum”, nempe ad Christum, qui

eisdem verbis allocutus est discipulos suos, quae ab Episcopo iterantur, cum sacrum presbyteratus ordinem confert: „Iam non dicam vos servos, sed amicos“. Si perattente legamus ritus sacrarum ordinationum quae a primis gradibus ad s. presbyteratus ordinem conducunt, facile dynamismum quendam generationis proprium animadvertimus. Etenim per sacrum episcopi ministerium sacerdotes quodammodo generantur et fiunt „providi cooperatores ordinis Episcopalis“.

Liber autem Pontificalis quae de episcopis enuntiat quasi voce repercussa eadem repetit etiam in hac spirituali generatione sacerdotum. Etenim in episcoporum consecratione haec verba audiuntur: „episcopus oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare“ — ex Pontificalis Romani Libro. Cum autem „Dei agonista“ hoc est episcopus — ordinando imponit „onus presbyterii“ haec ipsi dicit: „sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare“ — ex Pontificali Romano.

Quare ea quae de episcopo dicenda sunt, congrua ratione conveniunt etiam sacerdoti; considerationes profundiores quae de officio episcopali hodie instituuntur, quodammodo referri possunt etiam ad s. presbyteratus ordinem. Quicumque legit Pontificalem Romanum, facile animadvertit hunc nexum. Affirmare audeo, non solum principia theologica de episcopatu, sed etiam ritus et praescripta ipsius Libri Pontificalis conferre debere ad bonam formationem spiritualem clericorum, nam mens Ecclesiae est, ut ordinandi praeparentur per gradus ad sacros Ordines; propterea ipsa statuendo interstitia inter singulos gradus, intendit facultatem praebere bene percipiendi sensum ordinationis acceptae: „Diligenter considerate ordinem per vos susceptum“. Ex quo deducitur non esse facile concedendam dispensationem ab interstitiis. Liber Pontificalis Romanus talis est momenti in formatione Clericorum, ut aequiparari possit Missali et Breviario. Utcumque, hic liber non debet esse notus solummodo magistro caerimoniarum, sed debet fieri liber plane cognitus quoad ea quae respiciunt Episcopum et eius providum cooperatorem hoc est sacerdotem.

In eodem libro sacerdos meditari debet suum ipsius iter ad sacerdotium. In capite quod inscribitur „De clerico faciend o” (notentur verba Pontificalis) instituat attentam considerationem unusquisque qui se praeparat ad sacram ordinationem; sed etiam in aliis occasionibus prosequatur huiusmodi considerationem, tempore praesertim exercitiorum spiritualium. Ordinandus sacerdos perpendat insuper quae dicuntur in Libro Pontificali de sacro ritu consecrationis episcopalis eo fine, ut melius cognoscat plenitudinem sacerdotii in episcopo, qui pater fuit ordinationis suae, itemque ipsam missionem pastoraalem quae repercutitur in suo proprio sacerdotali ministerio, quod tam intime coniungitur cum s. ministerio episcopali.

Praeterea in formatione Clericorum episcopus alumnis exhiberi debet ut vir, qui iam non est liber, sed cum dioecesi arcte coniungitur ac propterea etiam cum sacerdotibus et fidelibus. Ipse enim portat „annulum, fidei signaculum”, quem christifideles solent osculari in signum unitatis cum Pastore suo, qui sponsam duxit dioecesim. In Litteris etiam Apostolicis, quibus episcopi nominantur, sermo est „de vinculo dioecesis”. Quare Episcopus est sponsus et minister fidelium, in dioecesi; vi ordinationis suae episcopalis, mandatum recipit sanctificandi animas fidelium et consecrandi presbyteros; ad ipsius munus episcopale pertinet disponere et ordinare, quae respiciunt Corpus Christi reale et Corpus Christi Mysticum, quod est Ecclesia. Haec est enim potestas ordinis et iurisdictionis, qua Episcopus constituitur apostolus, magister, pater, caput gregis ipsi commissi, sacerdotum et omnium fidelium.

Episcopus, qui ex populo assumptus est et pro populo constituitur (Hebr. V, 1), in plenitudine sacerdotii et missionis suae socialis induit maiestatem et auctoritatem ipsius Christi, Summi Secerdotis; ipse est qui generat sacerdotes; est Praesul, Antistes, Episcopus; ad eum pertinet sacri ministerii summa. Omnia haec leguntur in Libro Pontificalis Romani, ubi agitur de sacris ritibus, quibus generantur sacerdotes per ministerium

Episcopi. Quapropter, in formandis Clericis, ut sint „providi cooperatores ordinis episcopalis“, hic Liber optime eos edocere potest et debet viam, qua „unum cum Episcopo“ fiant.

4. Unitas cum Populo Dei.

Nostris temporibus, tota Clericorum formatio in hoc principio tamquam suprema norma innitatur oportet, scilicet sacerdotem assumi de populo et constitui pro populo. Christus, Pater futuri saeculi, praevидit futuras Ecclesiae Suae vicissitudines, in quibus vita Ecclesiae volvenda esset, atque eius ministerium vivificandi et sanctificandi esset exercendum. Ipse Christus praecessit hodiernam communiorem rationem publicae rei moderandae, quae democratica appellari solet, cum dixerit „qui vult esse primus, fiat minister aliorum“. Moderna evolutio rerum socialium et politicarum exigere quam maxime videtur huiusmodi officium aliis inserviendi. Sed praesertim populus Dei exspectat huius generis ministros. Christifideles illos viros ultro libenterque audiunt atque sequuntur, qui in aliorum bonum servos et ministros se praestant, cuiusmodi sunt S. Franciscus, S. Vincentius, S. Joannes Bosco, Servus Dei Maximilianus KOLBE ...

Ut huiusmodi mentis habitus inserviendi aliis in animis Clericorum formetur atque evolvatur, necesse est, ut eorum mentes convertantur ad doctrinam S. Pauli de Corpore Christi Mystico, a Papa Pio XII revocatam et fuse pertractatam per memorabiles illas Encyclicas, quarum vis et auctoritas comparari potest tantum cum Encyclicis Papae Joannis XXIII „*Pacem in terris*“, quas iure appellant „magnam chartam iurium naturalium hominum“.

Utraeque Encyclicae litterae sollemniter vindicant hominis dignitatem, quae conculcata atque contemptu habita est, modo turpi atque ignominioso, tempore postremi universalis belli in carceribus vel in publicae custodiae campis, ubi tam immensa innocentium hominum multitudo, rei politicae vel religionis causa, misere languescebant. Utraeque Encyclicae in mentem revocant „rem sacram“ hominem esse.

Sacrorum alumni nullo modo ignorare possunt hanc supernaturalem hominis dignitatem, praesertim quia nos sumus filii Dei adoptivi; sed hanc veritatem plene cognoscere eamque aliis praedicare debent.

Omnia haec iuvabant ad melius intellegendam constitutionem Ecclesiae, quae est societas supernaturalis; proinde ipsa supernaturalibus etiam utitur instrumentis, in eaque caritas supernaturalis omnia regit et iungit.

Clericus ergo qui ad tale ministerium caritatis instituentus est, cognoscere debet suas partes explendas in opere salvifico Ecclesiae, a Deo Homine conditae, „qui propter nos homines descendit de coelis”.

Non rarae voces Patrum in hac Aula Conciliari auditaes sunt, quae monebant ut erga filios Dei nosmetipsos geramus ut ministri non ut domini. Quod quidem ministerium excoli bene potest, si supra fundamento doctrinae Pii XII de Corpore Mystico Christi innitatur. Hoc modo melius etiam intelligitur motus ille modernus sacrae liturgiae, qui amovet sacerdotem ex remotis templi penetralibus et ex vastis presbyteris, eumque ponit in conspectu populi. Populus enim Dei videre desiderat sacerdotem, et una cum eo preces fundere ad Deum.

Sacerdos, si faciem semper ad populum conversam teneat, totam integramque formationem suam spiritualem et asceticam reformabit; quae formatio, etsi semper peragenda est secundum principia inconcussa decursu saeculorum in Ecclesia tradita et Codice Iuris Canonici probata, nihilominus non amplius imitari debet illam religiosam vivendi disciplinam, quae claustrorum monasticorum propria est, sed potius conformanda erit ad normam principii ascetici, quod appellare mihi placet principium mentis intentae in eum finem, ut sacerdotes „providi cooperatores ordinis Episcopalis” fiant, quemadmodum suadet ipsum Episcopi nomen, cuius nativa vis „speculatorem” significat. Haec pietatis forma sacerdotes habiles et aptos reddet, ut conversentur „cum peccatoribus et supra telonio sedentibus”, absque sui ipsius detrimento vel periculo; efficiet pariter, ut ipsi castitatem morum obser-

vent, non solum propter vinculum sacra ordinatione ortum, sed praesertim propter suam ipsorum intimam ac peculiarem coniunctionem cum ipsa SS.ma Trinitate, cuius veritatem tradunt Populo Dei. Haec pietatis forma pariter edocebit sacerdotes oboedientiam et fidelitatem erga episcopum, etsi absentem. Iuxta haec principia sacerdos ita virtutem paupertatis exercere potest, ut honorum materialium possessionem admittat immo etiam desideret, hoc tamen fine, ut eorum ope melius aliis inservire possit; quod quidem affirmavit praeclarissimus Mediolanensis professor Joseph Toniolo, acutissima sententia illa: Bona plurima possideamus, ut plurima elargiri possimus.

Quare hodie pietas illa sacerdotalis colenda est, quae sacros ministros iubet apertos tenere oculos, et se conferre etiam ad bivia et trivia. Ut autem ad huiusmodi ascensum, quam oculorum apertorum appellare placet, Clerici perveniant, opus est ut Seminaria nostra ordinarie regantur a Clero dioecesano.

Igitur secundum doctrinam supra expositam omnes disciplinae in Seminariis tradantur inde a Theologia Fundamentali. Tota christologia ordinetur ad Christum viventem in medio Populi Dei. Etiam philosophia, aspectu sociali induta, iuxta doctrinam S. Thomae Aquinatis, prosequatur oportet fines sociales. Pariter Liturgia suos ritus, preces et caeremonias informet spiritu sociali. Item ars paedagogiae ratione sociali exerceatur. Doctrina socialis proinde ac praesertim vero institutio religiosa conformentur ad diversos coetus sociales. Denique oeconomia socialis attentum reddat futurum Dei administrum ad necessitates et indigentias universorum hominum, ubique degentium, eumque sollicitum efficiant de ipsorum sorte, scilicet quidam manducaturi vel bibituri sint, aut quibus vestibus sese sint operturi, secundum exemplum quod nobis dedit Ipse Christus Dominus.

Hoc modo omnes scientiae a Nobis enumeratae, adiumento erunt ad fovendam exoptatam illam animi inclinationem, qua omnes, sed praesertim episcopi et sacerdotes uniti cum populo redduntur. Omnes enim viae, omnes modi experiendi sunt, ut populum acquiramus, cum Evangelium „prae-

dicandum sit omni creaturae". Et „Mundus Universus" quidnam est? — „Domini est terra, et omnia quae replent eam". Homines igitur universi non sunt vocandi „massa damnata", sed potius „redempta"; sunt enim „gens sancta, populus Dei, populus acquisitionis...". Et ideo iuvenis Clerus properet ad populum non cum timore, sed cum fiducia, et optima voluntate praeditus, cum sit legatus et minister Ecclesiae vivificantis et sanctificantis. Ad Sacerdotem hisce dotibus ornatum animum et brachia pendent non solum fideles, christiana vita praestantes, sed ii etiam qui fide debiles et infirmi sunt, quia et ipsi se salvos fieri posse non desperant.

CONCLUSIO.

Beatissime Pater! Parcatur mihi, si expositionem meam nimis protraxi. Verbis Summi Pontificis initium feci orationis. Pariter ipsius Vicarii Christi verbis concludere velim, quae optime exprimunt spem et expectationem in adolescenti Clero ab Ecclesia collocatam. Omnes scilicet flagrantissimis optamus votis ut e Seminariis nostris in apertum apostolatus campum prodeant „ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei fideles, virtute et doctrina spectabiles, inter homines eminentioribus hominum laudibus elucentes, imo Angelis haud absimiles, veritatis satores, iustitiae assertores, desidiae osores, caducarum rerum contemptores, religionis amplificatores sedulissimi, christiani populi gaudium atque corona".